

- Altera quod bos est, altera vecta bove.
 325 Hanc tamen inplevit, vacca deceptus acerna,
 Dux gregis, et partu proditus auctor erat.
 Cressa Thyesteo si se abstinuisset amore,
 (Et quantumst uno posse calere viro!)
 Non medium rupisset iter curruque retorto
 330 Auroram versis Phoebus adisset equis.
 Filia purpureos Niso furata capillos
 * [Hunc hostem patitur cum reliquis avibus.
 Altera Scylla novum Circes medicamine monstrum] *
 Pube premit rapidos inguinibusque canes.
 Qui Martem terra, Neptunum effugit in undis,
 Coniugis Atrides victima dira fuit.
 335 Cui non defletast Ephyraeae flamma Creusae
 Et nece natorum sanguinolenta parens?
 Flevit Amyntorides per inania lumina Phoenix;
 Hippolytum pavidi diripuistis equi.
 Quid fodis inmeritis, Phineu, sua lumina natis?
 340 Poena reversurast in caput ista tuum.
 Omnia feminea sunt ista libidine mota:
 Acrior est nostra plusque furoris habet.
 Ergo age, ne dubita cunctas sperare puellas!
 Vix erit e multis, quae neget, una tibi.
 345 Quae dant quaeque negant, gaudent tamen esse rogatae;
 Ut iam fallaris, tuta repulsa tuast.
 Sed cur fallaris, cum sit nova grata voluptas,
 Et capiant animos plus aliena suis?
 Fertilior seges est alienis semper in agris,
 350 Vicinumque pecus grandius uber habet.
 Sed prius ancillam captandae nosse puellae
 Cura sit: accessus molliet illa tuos;
 Proxima consiliis dominae sit ut illa, videto,
 Neve parum tacitis conscia fida iocis;
 355 Hanc tu pollicitis, hanc tu corrumpe rogando:
 Quod petis, ex facili, si volet illa, feres.
 Illa leget tempus (medici quoque tempora servant),
 Quo facilis dominae mens sit et apta capi.